QUOD DEUS BENE VERTAT!

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI DISPUTATIO SECUNDA

DE

DEFINITIONE ET DIVISIONIBUS FEUDORUM.

Quam

Permiſſu Magnifici & Nobiliſſimi ICtorum in Perilluſtri Salanâ Ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Ampliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi

Dn. ERASMI UNGEPAUR,

ICti longè Celebratiſſimi, Profeſſoris hujus Academiæ Publici, Conſiliarij Saxonici Graviſſimi, Curiæ Provincialis, & Scabinatus Aſſeſſoris Digniſſimi, Promotoris & Præceptoris ſui omni, quo par eſt obſervantiæ cultu ætatèm ſuſpiciendi

IN AUDITORIO ICTORUM

Horis matutinis ſolitis

Ad diem Februarij

defendet

MATTHIAS Mencke/ Lubbeccâ Weſtphalus.

BIBLIOTECA NAZ. ... [stamp]

JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO M. DC. XXXVI.

THESIS I.

DIſcuſſà primâ diſputatione, quæ ſuper Feudorum Origine, nec non Compilatorib autoritate & uſu Conſuetudinum feudalium dubia & ſcrupuloſa videbantur, Ordinis ſimul & naturæ lege ea ſequuntur, quæ ſunt de definitione & diviſionibus feudorum, quæ quam ſint variæ, & variè à varijs afferantur, hinc indè apud Dd. videre licet. Nos verò memores brevitatis & noſtri Inſtituti inſigniores duntaxat referamus & primo loco, ut ordine definitivo videamus, quid ſit Feudum, progreſſum dirigamus noſtrum ad ipſam Feudi definitionē, quæ duplex habetur, una nominis, altera Rei.

II.

Definitio autem nominis omnem præcedit tractatum & diſputationem ſecundum Ariſtot. propterea videndum eſt imprimis undè dicatur Feudum, poſtea quid ſit.

III.

Feudum alij à Fœdere deducunt, eò quod inito fœdere ad mutuam præſtandam fidelitatem ultrò citroq; vaſallus & Dominus ſe obligent. *c.un.ad fin. de form. fidelit. 2. Feud. 6. Zaſ. in tract. Feud part. 1. n. 2. Sonsbec. part. 2. n. 32.* Alij à Faida, quod Longobardis & Germanis hoſtilitatem ſignificat. *Johan. Ferrar. lib. 1. c. 8. circa fin. de Feud.* Alij à Germanico vocabulo Fůeden paſcere, quod Feuda in paſcuis & gratis utplurimum cōſiſtant. *Philipp in annot ad offic. Cicer.* Alij ab antiqua Germanica voce Leudo, quæ hominem deſignat, undè in LL. Gothicis *lib. 5. tit. 5.* Leudes appellantur Vaſalli, indè & Germanica vox Lehen *Beſold. tract. de Comit. Cujac. de Feud. in pr. Lindeman. diſput. Feud. 1. th 21.* Nos verò ſequentes *Obertum de Ortho, Magnif Nobiliſ. & Clar. ICtum, D D. Arumaeum, Ordinar. Juridic. noſtræ facult. merit ſſ. præceptor. & promotor meum omni obſervantiæ cultu ætatèm ſuſpiciend. Duar. & Weſenb.* Feudum ob excellentiam & ſingularem, qua Vaſallus Domino obſtringitur, à fide ſeu fidelitate deducimus, *c. un. §. ſed etiam. 1. in fin. per quos fiat inveſtit. 2. Feud. 3.* Tum quod expreſſo textu nitatur, tum quod à forma & eſſentia Feudi, quæ in mutua fidelitate

conſiſtit, deſumpta ſit. *d.c. inveſtitura. §. ſed. etiam 1. verſ. nulla in fin. 2. feud. 3. c. qualiter. 2. feud. 5. Schrad. Tract. Feud. part. 2. c. 1. in fin. Obrecht. de Jur. Feud. lib. 1. c. 4. n. 6. Hattyſer. analyſ. Jur. Feud. c. 2.*

IV.

Nominis definitionem excipit definitio rei, cujus variæ à Dd. proponuntur, uti videre eſt apud *Petr. Nicol. Mozz. in tract. Feud. c. 1. n. 5. & ſeqq.* Nicol. *Intrigl. cent. Feud q. 1. per tot. Obrecht. in tr. Feud. lib. 1. cap. 4 n. 12. & ſeqq. Ritterſhuſ. partit. jur. feud. lib. 1. c. 3. q. 4. Bocer. Claß. 5. diſput. 12. th. 9. & ſeqq.* quas omnes hoc loco recenſere inſtituti noſtri ratio non permittit. Vnam tamen vel alteram ſaltem attingamus.

V.

Definiunt alij Feudum quod ſit beneficium, quod ex benevolentia ita datur, ut proprietas rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, uſusfructus verò illius rei ita ad accipientem tranſeat, ut ad eum heredesq; ſuos maſculos ſive Fœminas (ſi de his nominatim dictum ſit) in perpetuum pertineat: ad hoc ut ille & ſui heredes fideliter domino ſerviant, ſive ſervitium illud nominatim, quale eſſe debeat, ſit expreſſum ſive indeterminatè promiſſum. *In c. Oberth. de Ortbo in quibus Cauſ. Feud. amitt. 2 Feud. 23 Roſenth in Synops. Feud c. 1. concluſ. 1. Curt. Jun part. 1. tract. Feud. q. 6. n. 2. Eorcholt. de Feud. c. 1. n. 10.* Verum minus rectè, quia & genus improprium & differentiam inſufficientem habet, quod eſt contra legitimam definitionem, quæ debet conſtare genere proximo & proprio & differentia ſpecifica ſufficienti. Genus improprium habet, videl: beneficium, quod definitur benevola actio. Atqui feudũ non eſt ipſa actio, ſed tantum jus, quod ex actione illa benevola oritur. *c un. in fin pr. de Feud. dat. in vic. L. Comm: ff. 1. Feud. 27. Vult. lib 1. c. 2. n. 5. Setz. diſp. 2. th. 1. lit. D.* Actus enim quo feudũ conſtituitur, præcedit, feudũ igitur actui eſt conſequens: ſicut igitur cauſa & effectũ, ita differunt beneficiũ ſeu actio illa benevola & feudum. Erg. Feudum non eſt beneficium. A quo enim removetur genus, ab eo etiam omnes removentur ſpecies. Eelicèt cauſa & effectus ſæpè confundantur, tamen cum hoc fiat per Metonymiam, ideoq; in definitione nõ

permit-

permittitur, quia unum ex perfectæ definitionis requiſitis eſt, ut conſtet verbis proprijs & perſpicuis aliàs nō explicat, quid ſit eſſe rei quæ definitur. *Ariſtot. 6. Topic. c. 1.* Deinde differentiā inſufficientē: quia non omni Feudo, ut Guardiæ, Cameræ, Canevæ, Franco & ſimilib. cōvenit. *c. un. Feud. Guard. & Caſtald. 2. Feud 94. 2. Feud. 48. & c. un. in fin. pr. tt. 104.* & potius quale Feudum ſit, quam quid ſit exprimit. *Magnif. Nobiliſſ. & Clar. ICt. D. D. Arum. diſp. Feud. 1. th. 23.*

VI.

Alij Feudum definiunt, quod ſit res immobilis, quæ fidei & obſequij gratia certo modo fruenda alicui conceditur. *Duar. Cap. 2. in pr. de Feud.* Sed nec hæc nobis arridet. quoniam Feudum pro jure, quod Vaſallus habet in re feudali, ſumitur, hac autem in definitione cum re ipſa immobili, quæ eſt materia Feudi, & in Feudum datur, feudum confunditur. *Magnif. Nobiliſſ. & Clariſſ. ICtus, D. D. Arum. d. diſp. Feud. 1. th. 23.* quod omninò fieri non debet: aliud enim eſt res in Feudum conceſſa, aliud ipſum Feudum. *Vult. lib. 1. c. 2. n. 6. de Feud. & in diſceptat. Scholaſt. c. 19. Setz. diſp. 2. th. 4.*

VII.

Alij Feudum per contractum deſcribunt, moti tum illo textu, qui reperitur in *c. In beneficijs an præſcript. Feud acqui. 2. Feud. 87.* Tum hac ratione, quod obligatio & actio mutua inter Dominum & Vaſallum oriatur *c. in Epiſtol de form. fidelit. 2. Feud. 6.* quæ etiam Schradero in tractat. Feud. *part. 2 c. 2. n. 1. & Rittersh. lib 1. c. 3. q 5.* optima videtur, nobis verò peſſima, quia & hoc definitionis genus omninò eſt improprium, non quidem propter rationes à *Hottom. in lib. 6. obſ. 7.* datas, quibus ſatis ſufficienterq; reſpondet *Rittershuſ. d. loco*, ſed quod contractus à feudo ut cauſa ab effectu diſtet: aliud enim conventio de feudo eſt, aliud jus in feudo acquiſito eſt. *arg. § ult. Inſtit. de Servitut. lib. Fachin. 7. Controverſ. 1. Bocer. tract. de Feud. cap. 5. q. 1. Giphan. diſput. 1. th. 4.* Nec obſtant rationes ſup. datæ. Ad I. enim reſpond. quod contractus appellationem ibi Feudiſta in generali & improprio ſenſu ſumat. & feudū contractum vocet non per ſe, ſed ratione contractus ejus, quo

conſtituitur: quemadmodum & donatio ſimplex, quæ in ſe contractus non eſt, ut probat poſt alios *Hunn var. reſolut. tr. 4.q.1. & Ampliſſ. Conſultiſſ. & Eccellentiſſ. D.D. Valent. Riem. p.m. Illuſtr. qq. Dec 5.q.8.* nonnunquam tamen contractꝰ appellatur. *l. 17. pr. C. de fid. Inſtr. l. 14. pr. C. de SS. Eccleſ. l. 8. pr. C. de praeſcript. 30. vel 40. ann. & l 7. C. de bis qua vi met. cauſa* Non per ſe, ſed per accidens propter ſtipulationem, quæ adhibetur *l. 2. §. 2. l. 22. & l 33. pr. ff de donat.* Ad 2. reſpond. negando quod Feudum per ſe actiones producat: quoniam actiones, quæ in judicijs Feudalib. moventur, nō unius generis ſunt, ſed pro varietate cauſarum variè dominis & vaſallis competunt. Ut actio ex exempto *arg. c. ſi quis de benef. fratr. 1. Feud. 20.* ex ſtipulatu. *arg. C. Imperialem de prohibitione Feud. alien. 2. Feud. 55.* præſcriptis verbis & condictio ex Lege *Weſenb. c 17. n. 7.* Roſenth. *c. 12. cōcluſ. 11. & 12. vid. etiam Ludw. in ſuo tr. Feud. de Feud. definit.*

VIII.

Alij, reiectis alijs Feudi definitionibus, Feudum ita definiunt, quod ſit uſusfructus quidam rei immobilis ſub cōditione fidei & obſequii conſtitutus. *Herman. Vult. lib. 1. Feud. cap. 2. n. 9. Joan. Niell. diſp. Feud. 1. th. 6.* Quæ definitio, cum genere proximo & proprio nec non differentia ſpecifica, quæ duæ partes cujusq; bonæ & legitimæ definitionis eſſentiales perhibentur, conſtet, & nobis omnium perfectiſſima videtur.

IX.

Proximi & Proprij generis loco ponitur uſumfructus, tū quòd ita in jure Feudali nominatur. *c un. in quib. cauſ. Feud. amitt. 2. Feud. 23. Gal. 2. de pac pub. c. 14. n. 10. Borch c. 1. n. 13. de Feud.* tum quòd definitio uſusfructus ei competit. Nam & Feudum eſt jus re in Feudum data utendi fruendi ſalva ejus ſubſtantia, adeo ut ſi Vaſallꝰ ea abutatur Feudo privetur *c. Frideric. §. quicunq; advocat. tt. de pac. ten. 2. Feud. 27. Zaſ. part. 10. concluſ. 18.* Hinc inſtar uſufructuarij conditionem proprietatis meliorem facere poteſt Vaſallus, deteriorem minimè *c. un. §. 1. de inveſtit. de re alien. 2. Feud. 8.*

X.

Huic noſtro Feudi generi valdè ſubtiliter obijci poteſt ſequens obſtaculum. Nulla ſpecies ſpecialiſſima loco generis

poni

poni poteſt, rat. quia ſpecies ſpecialiſſima nõ poteſt diſtinguĩ in differentias, quæ ſpecie differunt, quod tamen generis proprium eſt. *Ariſtot. 4. Topic. 3. §. 4.* *Atqui* uſusfructus eſt ſpecies ſpecialiſſima. Erg. Uſusfructus loco generis in definitione Feudi poni non debet, quod eſt contra noſtram definitionẽ. Verum reſpondemus ad minorem propoſitionem, quod per vocabulum uſusfructus in noſtra definitione poſitum nõ intelligamus ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed genꝰ quod poſtea reſtringitur per verba ſubjecta, *uſusfructus quidam* ad certam aliquam ſpeciem, de qua mox in th. ſeq. plura.

XI.

Dicitur. Eſt Quidam uſusfructus: Quia uſusfructus, qui vaſalli eſt, habet quædã ſingularia ab illo, qui eſt ſervitus perſonalis rerum allodialium. *Johan. Niell. diſp. Feud. 1. th. 6. lit. B. Obrecht tract. Feud. lib. 1. c. 4. n. 33. & ſeqq.* Perindè ut legatũ definitur donatio quædam. *§. 1. Inſt. de Legat.* propterea quod in omnibus non ſit cum cæteris donationib. eadem. Undè etiã tranſit in nomen proprium feudi altero retinente nomen generis, quod non eſt rarum in jure noſtro, ubi unum vocabulũ modò nomen generis, modò ſpeciei obtinet, uti videre eſt in vocabulo adoptionis, Jurisdictionis, & alijs id genus multis, quæ recenſere ſingulatim neceſſarium non eſt.

XII.

Naturâ generis excuſsâ, ſequitur ordinis ratione ipſa differentia, quæ deſumitur ab Objecto & Forma. Objectum eſt res immobilis *c. un. § fin. de feud. cognat. 2. Feud. 1.* licet enim omniũ rerũ, conſtitui uſusfructus poteſt ex Senatus conſulto *§. 2 Inſtit. de uſufruct*, non tamẽ jure feudi, quoniã feudũ tantum conſiſtit in rebus ſoli aut ſolo cohærentibus, aut in ijs, quæ inter immobilia connumerantur *d. c. un. § fin. de Feud. cognat. 2. Feud. 1. c. un. verſ. hujus autem in quib. cauſ. feud. amitt. 2. feud 23. Schrad. de feud part. 3. c. 2. n. 1, Schneidew. in Epitom. jur. feud. part. 2. n. 29. & ſeqq. Weſenb. de feud c. 7. n. 2. & n. 6 Moz. rubr. de reb. quæ in feud. dar. poſsũt n. 2. & 3. Borcholt. de feud c. 6. n. 1. & ſeqq. Roſenth. in Synops feud. cap. 1. concluſ. 1. n. 1, & c. 4. concluſ. 1. n. 1. Vult. de feud. lib. 1. c. 5. n. 4.*

XIII. Ad-

XIII.

Additur: & Obſequij: Nam præter feudum alijs quoq; in negotijs fidem alterius ſequimur, & grave eſt omninò fidẽ fallere *l.1 ff de pact.l.1.ff. ſi cert petatur.l.1.ff de conſtit pec.* ideoq; fidei generalitas hac q. adjectione explicatur. Obſequii autẽ nomine honor & reverentia quæ domino debetur intelligitur. *argt.tit de Obſeq.parent.* qua ſignificatione attenta etiam feudum eſſe francũ hac definitione continetur *Johan.Niell. diſp.feud.1.th.6.lit.E.*

XIV.

Præmiſſam & enodatam feudi definitionem ſequuntur diviſiones ipſæ, quarum alii pauciores, alii plures, imò tot quot hominum capita *teſt.Curt.in tr feud part.1.q.8.in pr.* referunt: Nos verò habita inſtituti noſtri ratione potiores ſaltem ponamus, easq; ad ſummam & capitalem aliquam diviſionem, quæ unicuiq; rei ſolet præmitti *juxt.pr.Inſtit. de jur.perſon.§.1. Inſtit.de obligat,§.1.Inſtit.de act.§.2.Inſtit.de Interdict.* redigamus.

XV.

Summa itaq; & capitalis feudi diviſio in duo deducitur genera: aliud enim eſt proprium ſive rectum. *per rubr & tt. de conſuet. rect.feud.2. feud.33. Vult lib.1.c.8.n.37.de feud Guet. Piſo in prælud.feud.c.40.n.1.* aliud Improprium ſive non rectũ. *c.un.de feud.Non habit prop nat.2.feud.48 Schrad. de feud part. 2.c.3.n 1.Weſenbec de feud c.2.n.1.Obrecht.in tr.feud.lib.1.c.2.n.4.* Summa & capitalis ideò appellatur quod aliam magis aptam non habeat, nullumq; feudum dari poſſit, quod non ad alterutrum horum generũm referri queat. *Magnif. Nobiliſ. & Clar. ICtus, D.D. Arumæus diſp.2.th.2.*

XVI.

Proprium feudum ſeu rectum eſt, quod omni ſui parte ad naturam ſive ad rationem communem feudorum, quam habent ex jure vel conſuetudine feudali, conformatum eſt, ſive quod propriam feudi naturam habet. Germanice dicitur das zur rechter Lehenſchafft/zu rechtẽ Lehen/nach Lehenſchafft weiß/ oder wie Lehensrecht Art vnd Eigenſchafft iſt/ gegeben wird. *c.un.§.præterea quid ſit inveſtit.2.feud.2 junct.text.Jur.Saxon.* Lehenrecht *art.72 Schneidew.de feud part.1.n 35.& ſeqq.* Improprium ſive non rectum eſt, (cum contrariorum eadem eſt

diſciplina *l.1.ff.de his qui ſunt ſui vel alien. jur.*) quod aliqua ſui parte à Communi feudorum natura deviavit, vel quod propriam feudi naturam non habet. So der rechten Lehngüter eigenſchafft nicht hat.

XVII.

Et quoniam proprij feudi ſpecies multæ ſunt, multaq; feuda impropria, ante omnia ꝓprij ſpecies attingamus easq; conſideremus. 1. ratione perſonæ Feudum dantis. 2. ratione perſonæ feudum accipientis. 3. ratione materiæ 4. ratione Formæ, vel Internæ vel externæ.

XVIII.

Ratione perſonæ feudum Conferentis ſive dantis; Feudum aliud eſt nobile, aliud ignobile ſive plebeium. *c.un. quis dicatur Dux. 2. Feud. 10. c. un. in pr. de pac. tenend. & jurament. firmand. 2. feud. 53. Vult. lib. 1. c. 8. n. 9. de feud.* Nobile eſt, quod datur ab eo, qui poteſtatem & voluntatem nobilitandi accipiẽtem habet. *Obrecht. in tr. feud. lib. 1. c. 5. n. 23. Niell. d. diſp. Feud. 1. th. 7. lit. C. Vult. d. cap. 8, n. 9. ſub fin.*

XIX.

Nobilitas autem hæc non eſt ab effectu, ſeu ex ipſo feudo, (ut Dd. arbitrantur, qui cõmuniter id nobile appellant, quod accipientem ſeu poſſeſſorem ſuum nobilitat! *Schneid. part. 1. c. 33. Rittershuſ. c. 4. q. 8.*) ſed ex concedentis poteſtate, quam habet vel per ſe, ut Imperator, Rex & alius ſuperiorem non recognoſcens: vel ex conceſſione ſuperioris, ut Inferior Princeps, cui hoc jus ab Imperatore conceſſum eſt: & ejus voluntate oritur, quam vel expreſsè declarat in inveſtitura, vel tacitè aliquem de Ducatu, princip. Comitat. &c. inveſtiendo. *Magnif. Nobiliſs. & Clar. JCtus, D. D. Arum. d. diſp. Feud. 2. th. 46. Vult. d. c. 8. n. 9. Niell. d. diſput. 1. th. 7. lit. C.*

XX.

Feudum nobile rurſus dividitur in Regale & non Regale. *c. de Marchia. de Feud. March. 1. Feud. 14. & c. L. Corrad. de Leg. Corradi. 2. Feud. 34.* Regale eſt, quod regiam dignitatem annexam habet, ab Imperatore vel alio Principe Superiorem non recognoſcente conceſſum. *d. c. de March. de Feud. March. 1. Feud. 14. c. un. quis dicatur Dux. 2. Feud. 10 Schrad. part. 2. c. 3. n. 3. Mozz. de diviſ. Feud. n. 42. Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 10. Obrecht. in tract. feud.*

 lib.

lib.1.c.3.n.31. & ſeqq. Matth. de Afflict. cap.1.§.fin.n.27. de his qui feud. dar. poſſunt.

XXI.

Dicitur regale ex eo, quod inveſtitus de ejuſmodi feudo omnem poteſtatem, omneq; jus in terris ad hoc feudum ſpectantibus habeat, quo Imperator ſive ſupremus Rex in ſuo imperio ſive regno utitur, exceptis tamen iis ſolis, quæ Imperatori in ſignũ ſupremæ reſervata ſunt eminentiæ. *Schrad.* poſt alios *de Feud. d. part. 2. c. 3. n. 4.* Germanicè appellatur Fahnenlehen / quia de his Feudis ab Imperatore Vaſalli, cum vexillo inveſtiuntur, & ut nos loquimur, darumb daß Keyſerliche Mayeſtat den Weltlichen Fürſten ſolche Lehen mit Fahnen leihet. *Schrad. d. part. 2. c. 3. n. 6. Jur. Sax. art. 60. lib. 3.* gl. Lehnrecht / *c. 20.* Dignitas autem regalis eſt Regnum, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & hodiè etiã Baronatus *Zaſ. part. 5. n. 29. Roſenth. in Synops. Feud. c. 2. Concluſ. 1. n. 4. & in not. lit. E.*

XXII.

Cum itaq; conſtet ſolum Imperatorem feudum Regale concedere, exurgit quæſtio, an, quando Divus Imperator in fata concedit, Comes Palatinꝰ & Dux Saxoniæ, Imperij Electores & Vicarij, ad quos Cura Imperij devolvitur, poſſint de feudis Principum cum vexillis inveſtire? Reſpond. hoc illis meritò denegari, quoniam hoc eſt de Imperatoris vel Regis Romani reſervatis. *Aur. Bull. cap 5. L. R. lib. 3. art. 5. & 6. R. A. de anno 1521.* § vnd behalten vns vor die belehnung der Lehẽ vnd Regalien der jenigen / die ſie vnter den Fahnen öffentlich mit Solenniteten pflegen zu empfahen.

XXIII.

Non Regale eſt feudum nobile Principis autoritate conceſſum cũ dignitate, quæ reali eſt Inferior. *d. c. un. verſ. qui verò à Princip. Quis dicatur Dux. 2. feud. 10. Vult. lib. 1. feud. c. 8. n. 10. Schrader. d. part. 2. c. 3. n. 9. Roſenth. in Synops. feudal d. c. 2. concluſ. 1. n. 6. Niell d. diſp. 1. th. 7 lit. D. Johan. Ferrar. in uſib. feud. lib. 1. c. 6. in 3. diviſ. Vdalric. Zaſ part. 5. n. 26. Sonsbec part. 3. n. 71.*

XXIV.

Ignobile ſeu Plebeium feudum eſt, quod ſine voluntate accipientem nobilitandi, vel quod Concedens non poſſit, vel poſſit quidem, nolit tamẽ, conceditur: & hoc vulgo Burgenſe

genſe

gen ſe feudum appellatur, Ein Bürger oder Bawerlehen/ iñ Gemeinlehẽ *d. c. un. §. cæteri. in fin. Quis dicatur Dux. 2. feud. 10. Vult. lib. 1. c. 8. n. 9. de feud. Obrecht. lib. 1. c. 5. n. 45. & ſeqq. Schrad. Epit. feud. part. 1. n. 34.*

XXV.

Ratione Perſonæ feudum accipientis, feudum aliud eſt Maſculinum, aliud Fœmineum. *c. un de feud. fœmin. 2. feud. 30. c. un. de nat ſucceſſ. 2 feud. 50.* Maſculinum eſt, quod à maribus ortũ habet *c un. Si vaſall. feud. 2. feud 31.* vel eſt omne id in quo Fœmina nõ ſuccedit, vel ſuccedit quidem, ſed à maſculo fuit acquiſitum. *Roſenth. in Synops. feud. c. 2. Concluſ. 8. de feudor. diviſ.* Germanicè Manlehen. Fœmineũ eſt, de quo mulier primùm inveſtita eſt. *c. un An marit. ſucced. ux. 1. feud. 15.* Unde feudum à maſculo prius acquiſitum, licet poſtea fœminæ ſuccedãt, manet maſculinum, nec mutat naturam, quam habuit ab origine *per c un. de eo qui ſibi vel hered. ſuis 2. feud. 17.* & feudum à fœmina prius acquiſitum dicitur fœmineum, etiamſi maſculi poſtea ſuccedant. *d. c. un. 2. feud. 17.*

XXVI.

Quæri hîc haut incommodè poteſt, an feudum ab initio maſculo conceſſum, deindè verò cum ob defectum maſculorum feudum ad dominum rediret, à domino fœminæ de novo conceſſum, maſculinum ſit an fœmininum? Hoc caſu feudum, quod antea erat maſculinum, nunc eſſe fœmineum dicendum eſt, eò quod fœmina cauſam ſuam habet non à maſculo, ſed à domino cui feudum apertum erat, à quo ipſa etiã primò acquiſivit, ut ita huc feudum à fœmina acquiſitũ aliud ſit â feudo à maſculo acquiſito, etiamſi res, in qua eſt, ſit eadẽ. *Vult. d. c. 8. n. 3.*

XXVII.

Maſculinum rurſum dividitur in vetus & novum, *c. un. in pr. per quos frat inveſtit. 2. feud 3. c. un. verſ de veteri. qui teſt. ſunt neceſſ. 2. feud. 32. c. un. de inveſtit. veter. & non. benef. 2. feud 91. c. un. de ſucceſſ fratr. 2. feud. 11.* Novum eſt cujus cauſam acquirens non habet ab alio, niſi à ſe ipſo & domino concedente. *d. c. un. verſ. novum. qui teſt. ſunt neceſſar. 2 feud. 32. c. un. de fratr. de nov. benef. inveſtit. 2. feud. 12. c. un. de duob fratr. à capit. inveſtit. 2. feud. 18. Vult. d. c. 8. n. 4. Mozz. de diviſ. feud. n. 52. Maſcard. de probat. concluſ. 771. in fin. vol. 2. Rob. à Valle, conſ. 60. n. 4. vol. 1. & conſ.*

16. n.

16 n.2. & 3. vol.3. Undè ſi feudum aliquod vetus aliquo caſu ad dominum redeat & dominus id feudum reverſum vel eidem qui antea habuit; vel alij inveſtitura nova concedat, feudum novum dicitur *argt. l. ſed ſi manente. 5 ff. de precar.*

XXIIX.

Vetus, cujus cauſam quis non habet à ſe ipſo, ſed ab eo, qui primus feudum acquiſivit & conſtituit. *c. un. verſ. paternum, d. natur. ſucceſſ. feud. Vult. d. c. 8. n. 4. in fin.*

XXIX.

Hoc Dd. rurſum in Paternum & Antiquum dividunt; Paternum dicunt illud quod à quopiam adſcendentium usq; ad 4 gradum acquiſitum eſt. *c. un. §. hoc quoq; obſerv. de ſucceſſ. feud. 1. feud. 8.* Antiquum verò quod ab alio aſcendētium, qui ultra 4 gradum eſt, acquiſitum eſt *d. c. un. §. hoc quoq; verſ. hoc ideo. de ſucceſſ. feud. 1. feud. 8. Alvar. in prælud. diviſ. 6. Bl. diviſ. 5. Schneidew. in Epit. feud. part. 1. n. 63. Borcb. c. 4. n. 2.*

XXX.

Quamvis autem ſint, qui mordicus hanc diviſionem defendere velint *1. per c. un. de ſucceſſ. feud. 1. feud. 8.* ubi expreſſè nominatur paternum, quod vel pater, avus &c. acquiſivit. *2. per l. 10. §. 7. ff. de gradib. affinit.* Nos tamen eam non approbamus, quia hæc juri feudali conveniens non videtur, tum quod feudum paternum & antiquum promiſcuè uſurpetur *c. un. §. 2. Si de Inveſtit. feud. 1. feud. 4. c. un. de content. inter me & Dom. 1. feud. 12. c. un. de ſucceſſ. feud. 2. feud. 11. c. un. de fratr. de nov. beneſ. & c. 2. feud. 12. c. un. de Vaſall decrepit. ætat. 2. feud. 14. c. un de Inveſtit. in mar. fact. 2. feud. 15. Magnific. Nobiliſſ. & Clar. Ictus,* D. D. *Arum. d. diſſ. feud. 2. th. 36.* tum quod in effectu feudum paternum & antiquum conveniant, & ejuſdem potentiæ ſint. *Curt. Jun. part. 1. q. 8. n. 7. de feud.*

XXXI.

Oriuntur ex jam dictis pulchræ & quotidianæ quæſtiones. 1. Utrum feudum novum jure antiqui feudi concedi poſſit, Nach art vnd eigenſchafft eines rechten Stamlehen Guts? 2. Utrum feudum antiquũ, ſi de eo Vaſallus inveſtitus ut novo, induat naturam & qualitatem novi? Ad 1. reſpondemus diſtinguendo inter cauſam & originem, & inter jus & effectũ feudi: Ratione cauſæ & originis ſuæ feudum novum eſſe nõ deſi-

definit, ſed ut novum reverà eſt, ita reverà novum manet, ratione tamen juris & effectus, vetus eſſe fingitur, & feudi antiqui vim ac poteſtatem aſſumit. *Duar. de feud. c. 4. in fin. Gail. 2. obſ. 59. Mynſing. 6. obſ. 18.* Ad 2. ut reſpondeatur, forſan diſcurſꝰ ipſe anſam præbebit.

XXXII.

Ratione materiæ ſive rerum feudalium feudum eſt vel Eccleſiaſticũ, vel Seculare. Eccleſiaſticum, quod in re Eccleſiaſtica conſtituitur, ſive à Clerico ſive à Laico, de illo diſponendi facultatem habente. *c. un. Epiſcop. vel Abbatem coc. 1. feud. 6. c. un. §. Item ſi Clericus. De capit. Corradi. 2. feud. 40. c. un. qui ſucceſſ. teneantur. 1. feud. 9. Zaſ. part. 2. n. 7. de feud.* Et hoc feudum Germanico idiomate vocatur Lehn vom Krumen Stabe: quia Epiſcopi & Prælati curvo utuntur baculo, it. quod præditi ſint poteſtate coarctata, quam deſignat baculi inflexio & incurvatio. *And. Knich. de Pact. inveſtit part. 1. c. 4. n. 34.*

XXXIII.

Seculare eſt, quod in re profana & ſeculari conſtituitur; ſive det Laicus ſive Clericus modò ſit de bonis patrimonialib. *c. un. de Clerico qui inveſtit fec. 2. feud. 35. c. un. in pr. qui teſt ſint neceſſ. 2. feud. 32. Sonsbec. part. 3. n. 5. Vult. d. cap. 8. n. 29. Schneidew. part. 3. n. 21. de feud.*

XXXIV.

Ratione formæ Internæ feudum vel eſt Ligium quod & homologum appellatur *Cuiac. c. un. de prohibet. feud. alien. per Frideric.* vel non Ligium. Ligium eſt, quo Vaſallus fidelitatẽ præſtat contra omnes nullo planè excepto vel antepoſito *c. Imperiales. §. ſatis. 2. feud. 52.* daß ſich der Lehman wil gebrauchẽ laſſen wider menniglich / niemand außgeſchloſſen *c. un. de feud. Legio. 2. feud. 99. c. un. fact. frat. fratr. non nocet. 2. feud. 93.* Dicitur Ligium per eminentiam à Ligando, quia ligat. & obſtringit Vaſallum domino ſuo adverſus omnes homines. *Magnif. Nobiliſſ. & Clar. ICtus, D.D. Arum d. diſp. feud. 2. th. 50.* quia eapropter homoligius vocatur. *d. c. 2 feud. 99. Vult. d. c. 8. n. 20.*

XXXV.

Quæri hic ſolet, an is, qui eſt Ligius Imperatoris, alterius nihilominus in Imperio conſtituti Principis ſub reſpectu certorum honorum poſſit eſſe ſubditus & Landſaſſius? Nonnulli

nulli id ipſum negant, nos vero affirmativæ, quæ procul dubio veritati conveniens ſubſcribimus ſententiæ.

XXXVI.

Non Ligium, in quo Vaſallus domino fidelitatem jurat alio excepto. *c.un.§.contra omnes fin. Hic finitur Lex.2.feud.18. c.un.de nov.form.fidelit.2.feud.7.& c.Imperialem.in fin.de prohibit.feud.alien per Frideric.2.feud.55.*

XXXVII.

Reſpectu formæ externæ feudum dividitur in feudum ex pacto & providẽtia, & in feudum Hæreditarium. Illud quod nulla facta heredum mentione quis pro ſe atq; liberis vel filiis impetravit. *Magnific. & Nobiliß. D. D. Arum.d.diſput.2.th.52.* Hoc vero quod quis acquiſivit pro ſe & hæredib. ſuis. *And. de Iſern.ad c.un.n.3 an agnat.vel fil.2.feud.45.c.un.§.hoc quoq; n.8. & 9.de ſucceß.in feud.1.feud.11 Curt.Iun.d.q.8.n.19. Matth de Afflict.in prælud.feud.n.166.uſq; ad n.179.Schrad.part.2.cap.3.n.19.*

XXXVIII.

Hactenus de diviſionib.ſub feudi proprii genus cadentibus, ſequuntur modò ſpecies feudi Improprij, quæ duobus modis à propria feudi natura recedunt, jure ſcilicet & Pacto.

XXXIX.

Jure, quando propria feudorum natura, quæ communi jure feudali conſtituta eſt, rurſus ſpeciali aliqua juris feudalis diſpoſitione mutatur, uti fit in feudis Cameræ, Cavenæ, Guardiæ, Gaſtaldiæ, Advocatiæ Cancellariatus, Soldatæ, habitationis & id genus aliorum.

XL.

Pacto quoq; primam feudi naturam mutari poſſe diximus; ſed quædam ita ſunt de feudi natura & ſubſtantia, ut ne pacto quidem alterari queant, quædam vero ej9 modi, ut pactis indè facilè recedi poſſit: Itaq; quoties hoc fit feudum Improprium ſive non rectum conſtituitur. Cum autem id multis modis fieri queat, paucos quid, potiores tamen recenſere animus eſt; feudum fœmineum, alienabile, Pignoraticium, Non jurabile, Francũ Cõdionatũ & ſimilia, quæ quid ſint hinc indè apud Dd. videre licet.

XLI.

Et tantum de definitione & diviſionibus feudorum pro inge-

ingenij mei tenuitate, non pro materiæ ubertate dicta ſufficiant: Non pigebit autem ſicubi hæſito, quærere, & ſicuti erro, diſcere.

Corollaria 3. ex Jure Canonico deſumpta.

I.

AN Conſenſus parentum liberis ad juſtas nuptias contrahendas de jure Canonico ſit neceſſarius? plurimi conſenſum parentum non de neceſſitate ſed de honeſtate eſſe putant, nos etiam neceſſitatem Canones urgere probamus *c. Aliter. q. 5. cauſ. 30.* ubi dicitur quod coniugium aliter non ſit legitimum niſi adſit conſenſus eorũ, qui in poteſtate ſponſam habent. *c. Noſtrates q. 5. cauſ. 30. c. qualis d. q. 5. cauſ. 30. c. Non omnis. q. 2. cauſ. 30. c. Honorantur. d. q. 5. cauſ. 32. c. mulier. d. q. 2. cauſ. 32. c. Hoc ſanctum d. q. 2. cauſ. 32.* Nec obſtāt *c. ſufficiat. q. 2. cauſ. 27. c. cum locum. & c. cum apud. extr. de Sponſalib.* ubi ſolus conſenſus ſufficere videtur; Ad illa n. reſpond. *Coras. lib. 7. miſcell. c. 29.* Coſenſum ibi intelligendum eſſe legitimum, ex authoritate parentũ adhibitum, ut leges & Canones requirunt, quod *d. c. ſufficiat.* ſatis confirmatur ubi expreſsè conſenſus ſecũdum leges requiritur. Deindè & jure civili ſolus conſenſus facit nuptias, & tamen parentum cõſenſus propterea non excluditur, ſed Concubitus tantum, *arg. l. 30. ff. de R. J* Et hanc ſententiam præter Coras: amplectuntur quoq; *Magnif. Nobiliſſ. & Clar. ICtus, D. D. Arum. Promot. & Præcept. meus æviternùm venerand. Don. 13. Comm. c. 20 Bronch. cent. 3. aſſert. I.*

2. An Princeps Laicus legitimare poſſit filium Clerici, ut ſuccedat in bonis paternis? N. quia ad legitimationem

tionem filij patris requiritur conſenſus. *Nov. 89. c. 9. verb. voluerunt.* At Clericus non poteſt cõſentire in laicum judicem. *c. ſignificaſti. c. ſi diligenti. extr. de for. cõpetent.* imò Clerici ne quidem voluntarii paciſci poſſunt, ut ſecularia judicia ſubeant, cum non ſit beneficium perſonale, cui renunciare valeat, ſed toti Eccleſiaſtico Collegio indultum ſit. Erg. Legitimatio à principe ſeculari facta filio Clerici non valebit.

3. An ex damnato complexu nati ab omni penitus ſucceſſione tam paterna quam materna excludãtur, adeò ut ne alimenta ijs præſtari debeant? Quod Treutlerus non ſolum de jure Civili ſed etiam de jure Canonico verum eſſe ſtatuit *diſput: 16. vol. 2. th. 3. lit. G.* Nos vero alimenta ipſis de jure Canon. eſſe præſtanda probamus textu illo expreſſo, qui reperitur *in c. cum haberet. 5. in fin. Extr.* De eo, qui duxit in matrimon. ubi Clemens 3. Pontifex conſtituit, ut parentes pro facultatum modo his quoq; liberis neceſſaria alimenta ſubminiſtrarent.

DEO SIT LAUS ET GLORIA in ſempiterna ſecula.

BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITTORIO EMANUELE